



EUROPAEA FOLIA SEXIES IN ANNO LATINE EDITA

Editrix responsalis: Diana LICOPPE -avenue de Tervueren, 76, Tervurenlaan -1040 BRUXELLIS
TEL:02/734 55 42

FUNDATIONI MELISSAE cur adiungendi sint **ADSOCII**

Iam nimium tempus perditum est inquirendo, sitne lingua Latina mortua an viva, sitne lingua Latina adhuc utilis necne, deceatne solius fere Ciceronis verba haberi Latina vel contra sintne neologismi solute et sine certis regulis fingendi, utrum tacite an alta voce et recto accentu Latine docendum sit, etc...

De his cunctis rebus iam diu, docte et profuse dissertum est. Argumentis prolatis nihil addi potest. Unum restat : duae partes bellum implacabile inter se gerunt, hostes et amici Latinitatis.

Hostes statim post secundum bellum mundanum cooperunt institutionem Latinam in scholis subruere. Communistae contendebant Latinitatem esse reiiciendam, cum esset insigne classis possessorum. Fere omnes Americani eam pro supervacanea habebant, cum ad quaestum faciendum eis videretur vim habere nullam. Obsequenter hos ambos duces secuti sunt Europae rectores.

Sic factum est, ut inter Latinitatis hostes infeliciter numerarentur ei qui hodie rei publicae habenas tenent. Qui, cum, ipsorum confessione, iis tantum rebus student e quibus proximum fructum exspectent, nolunt institutioni Latinae favere, quae discipulis imprimis videtur ardua molestaque et cuius praemia et commoda tantum serius percipiuntur. Licet Europae ossa frangantur atque evanescat anima Europaea! Hoc flocci faciunt ei ipsi qui palam dicunt se operam dare ad Europam confoederandam.

Quae cum ita sint, oportet amici Latinitatis, adhuc satis frequentes sed dispersi et incerti, inter se coniungantur ad animos confirmandos, ad vires multiplicandas.

Hunc in scopum, condita est Bruxellis, in Centro Europae, societas non lucrosa, "FUNDATIO MELISSA" inscripta. Quindecim sunt conditores ex Belgio, Francogallia et Germania oriundi. Quorum nonnulli sunt sodales Societatis Latinae Saravipontonae. Plerosque sermonem Latinum vivum docuit Dr. P.C. Eichenseer, praeses animaque Societatis Latinae. Dr P.C. Eichenseer factus est Praeses Honoris Causa Foundationis Melissa. Sodales Honoris Causa, quibus est praestantia seu in studiis Latinis seu in re publica, suis nominibus augebunt foundationis auctoritatem.


Statuta Foundationis Melissa die 10^o m. Iunii a^o 1986^o in appendice Actorum Diurnorum Officialium Belgicorum Franco-gallice et Nederlandice divulgata sunt. Quorum statutorum textum Latinum conscripsit Doctor Iuris Johannes Paulus Bauer, profes-

sor in studiorum universitate Saravipontana.

In secundo statutorum titulo enuntiatur duplex finis foundationis:

- aliquid conferre ad linguam Latinam docendam, quibusvis rationibus paedagogicis vel technicis, et

- Latinitatem Vivam promovere, id est sermonem Latinum in usum cottidianum et



supranationalem inducere.

Quibus in rebus efficiendis in animo habemus maximam partem eam viam sequi, qualis iam ante triginta annos Avennione monstrata est in votis primi "Conventus universi viventis linguae Latinae causa". Quare utile nobis visum est totum votorum textum ante lectorum oculos ponere, quem in hoc fasciculo invenient sub titulo "De Latinitatis Vivae motionis ortu"(II). Nam pauca ad effectum adhuc perducta sunt.

Imprimis Fundatio Melissa operam dare vult ad lexica practica conficienda, ubi inveniantur vocabula, tam antiqua quam recentiora, quibus utuntur coaevi nostri in sermone cottidiano.

Tenues vires gregis sodalium Foundationis Melissae multum augeri et multiplicari poterunt, si multi homines, quibus cordi est sors latinitatis, foundationis consocii fiunt. Eorum numero augebitur pondus foundationis atque colligetur pecunia sine qua vix quicquam effici potest.

Consilium administrationis Foundationis Melissae primam sessionem habuit Bruxellis die 13^o m. Septembris. Administratores paraverunt epistulam circummittendam, ubi sermone vernaculo breviter explicatur, cur condita sit Fundatio Melissa et quae

consilia ei sint exsequenda. Homines, quibus haec proposita placent, invitantur ut Foundationis Melissa sodales consocii fiant, remittendo schedulam subiunctam nomine completam.

Ut singuli pro suis facultatibus vel pro suo entusiasmo contribuere possint, tres consociorum classes distinguntur pro contributione annuae quae est:

- fautorum 300 F.B.
- bene meritorum 1.000 F.B.
- munificorum ab 5.000 F.B.

Omnes chartam sodalitates accipient, munificorum autem nomina in Melissa illustrabuntur, nisi obsistunt.

Textus statutorum, sive Francogallice, sive Nederlandice, sive Latine libenter sodalibus rogantibus mittetur.

Omnes sodales exeunte anno accipient rerum gestarum relationem.

Cum publicis sumptibus Latinitas Viva nondum augeri potest, speramus fore ut privatis primum crescat.

Gaius Licoppe

Foundationis Melissae praeses

Seminarium vivae latinitatis Morsaci habitum

Exeunte mense Iulio in Helvetia seminarium vivae latinitatis, doctore Caeleste Eichenseer moderante, habitum est Morsaci loci splendidissimi prope lacum quattuor regionum siti, quo participes undique terrarum confluerant, ut vinculis latinitatis coniuncti artem bene dicendi colerent.

Cum Morsacum vicus esse traderetur, quo mirificentior vix inveniri posset neque dubitarem quin lingua Latina exercenda esset ne minueretur, consilium itineris faciendi cepi, ut seminarium participarem. Quo quod adveneram eo magis gavisus sum quod seminarium, cum participibus variis regionibus nationibusque priundis plurimae offerrentur occasiones etiam inter sessiones Latine colloquendi, optimae erat qualitatis. Praeter enim Helvetios advenerant multi Germani, Batavus quidam eiusque uxor et iudex iuris canonici peritus Italicus.

Erica Roth curante magna nobis erat copia scriptorum, quorum quibusdam lectis participibus licebat rem in utramque partem disserere.

Quod ut facilius fieret necnon ut alii alias res tractare possent, participes interdum in greges dividebantur ad diversitatem rerum augendam. Exempli gratia Inga Pessara pane furfureo confecto auditoribusque libenter allato, quem gustarent, multis imaginibus nobis explicavit quo modo talis panis conficiendus esset et quibus utendum esset verbis methodus coquendi, ut optime et dilucide significaretur. Itaque evenit ut institutione doctoris Caelestis Eichenseer inceptis participum adiuncta, satis esset varietatis ut suum quisque gaudium gauderet.

Etsi vero ipsius Morsaci ambulantiibus optimae sunt viae unde pulcherrimus praebetur despectus in lacum quibusque montes ascendi possunt, non tamen impediri videbamur quominus, ut talibus in seminariis

fieri solet, mediis operibus peractis, regionem lustraremus atque monasterium Einsiedliense inviseremus. Quod monasterium ecclesiam continet structurae barocae ab anno MDCCXIX usque ad annum MDCCCXXXV exstructam atque uberrime ornatam.


Monachis cum vix quicquam maiori fuisset curae quam ut ingentem librorum copiam pretiosissimorum colligerent, nisi vero quisquam existimat eos cultum dei omnibus anteposuisse, bibliothecam centum milia voluminum continentem, quorum plus quam mille in incunabulis numerantur, admirati sumus.

Seminario peracto, si quis latinitatis cultum feriis iucundissimis iungendum sibi proposuerit, facere non possum quin ei valde suadeam ut proximo anno iter Morsacum faciat ad scientiam augendam atque terras lustrandas, quas qui inviserit necesse est beatus sit.

Lucas WILLEMARCO

DE QUARTO SEMINARIO VESTENDENSI LATINITATIS VIVAE.

Hoc anno quarto Latinitatis vivae seminarium Belgicum instituebatur a die 16^o usque ad diem 23^o m. Augusti. Quamquam ipsa iam nonnulla seminaria participavi, primo Vestendae fui. Die sabbati (16^o) circiter hora quarta et dimidia postmeridiana sole splendente advenimus in aedes "Zon en Zee", in quibus participes habitaturi, cibos sumpturi, institutiones audituri erant. Hora quinta et dimidia iam prima institutio coepit. Tunc nobis fuit occasio alios aliasque participes videre, id est homines iam notos revidere atque gaudenter salutare et cum hominibus adhuc ignotis prima verba Latina loqui. Tunc etiam manifestum erat viros feminasque compluribus ex nationibus participaturos esse. Aderant multi Belgae, multi Germani, duo Francogalli, unus Hispanus, unus Helveticus, unus Austriacus una cum familia sua. Ipsa de tali condicione semper gaudeo, cum hoc modo lingua Latina vere fiat



• Vous avez du feu ? •

Vous parlez latin ? Alors... soyez à Westende en août

In actis diurnis Bruxellensibus "LE SOIR" die 23m. Iulii a° 1986°
prolixè et amice tractatum est de seminario et Latinitate Viva ab
Alberto BURNET

lingua communicationis colloquiorumque.

Circiter triginta quattuor participes aderant et cottidie ab hora nona matutina usque ad horam duodecimam atque ab hora quinta postmeridiana usque ad horam septimam convenimus, ut, Dr.e Caeleste Eichense moderante, adiuvante, docente - id quod sicuti semper singulariter mirabiliterque fecit - colloqueremur Latine. Propter magnum numerum participum multas sententias, multas opiniones audire nobis licuit, et id quidem plerumque magna cum hilaritate. Sed difficultas interdum est in hoc, quod nonnullis iam est magna peritia loquendi, aliis adhuc parva; hoc spectat imprimis ad tirones. Sed etiam ii -sicut ipsa ex iis audivi- gaudia ex sessionibus nostris, ex seminario nostro perceperunt.

Horas inter prandium et institutiones postmeridianas unocuique facere licuit, quae voluit. Nonnulli interdum alios vicos petiverunt, alii birota vecti sunt, alii dormiverunt et Latine somniaverunt, nonnulli ambulantes colloquia Latina habuerunt. Semper aliquid inveniri potuit et occasiones Latine loquendi permultae fuerunt. Etiam vespertino tempore, cum iuxta amoenum litus maris ambulavimus et postea cum in aliqua caupona cervesiam Trappisticam sapidissimam salubremque bibimus, colloquia Latina -hilaria et seria- habere cordi fuit.

Dolendum fuit solum hoc : propter condiciones aedium "Zon en Zee" hoc anno neque ientaculum neque prandium neque cenam una et communiter sumere potuimus. Hoc interdum non nimis prosperum fuit. Sed anno proximo condiciones fortasse iterum meliorabuntur. Tamen omnia optime organizata erant. Et in seminario praeparando organizandoque -ut bene scio- semper permulti labores sunt. Ea de causa hoc loco Dianae Licoppe, quae de hac re optime merita est, gratias plurimas maximasque agere velim.

Etiam hoc in seminario occasio excursionis faciendae nobis erat. Die Mercurii (20° m. Aug.) oppidum Ipram petivimus, quam Paulus Elsen, mystagogus noster singularis hilarisque, Latine nobis explicavit. Quod plurimum mihi placuit. Fortasse aliquando ei erit spatium temporis ad seminarium participandum ?! - Die Iovis (21° m. Aug.) vespertino tempore Gaius Licoppe nobis de itinere in Islandiam facto narrare atquã

imagines translucidas monstrare dignatus est. Multa nova et scitu digna audivimus omnesque de eius acroasi valde gavisi sumus.

Sed spatium temporis -ut semper talibus in seminariis- celerrime peractum est. Iam iterum die Veneris erat, iam cena valedictoria instabat. Quam opiparam sapidissimamque in oeco pulchro permultis cum colloquiis, nonnullis cum orationibus sollemniter celebravimus. Die sabbati post paucas horas institutorias antemeridianas nos omnes iterum multas in regiones dispersi sumus, sed spero fore, ut hoc modo etiam Latinitas viva multas in regiones dispergatur.

Sigrides Albert Offenbachiensis

S.O.S. SUCCURRITE, O SODALES !

In urbe mea est hortus publicus quidam infeliciter nominatus "Hortus Zamenhofianus"; in quo recentius et infeliciter erectum est monumentum lapideum in quo scriptum est sine lingua Zamenhofiana ("esperanto" dicta) gentes varias linguam communem non habituras fuisse. Atque bonos cives video ante monumentum consistere et legere vultibus admiratione reverentiaque affectis.

Ad magistrum urbis, cum hoc mendacio civium animos imbui aegre ferrem, epistolam misi in qua et Latinam linguam inter gentes commode et vivide vigentem exemplis documentisque variis illustrabam et rogabam ut alterum erigeret monumentum in Latinitatis Vivae honorem. Qui magister urbis mihi respondit id, quod peterem, "non posse fieri". Tum ego, quae pugnax et obstinata sum, ei alteram epistolam misi, in qua rogavi quibus causis hoc idem in Latinitatis honorem "non posse" fieri quod in Zamenhofianae linguae honorem potuisset. Nullum (ad hunc saltem diem) responsum accepi.

HAEC EST PUGNA MEA : UT "MEA" FIAT "NOSTRA" VOS ORO ET OBSECO, LECTORES !

Nam magno auxilio mihi eritis si hanc unam brevem sententiam "Ego quoque monumentum in Latinitatis honorem erigi velim" in chartula cursuali scribetis, nomine vestro et urbis vestrae addito, atque hanc chartulam mittetis ad me :

Madame Geneviève IMME
boulevard Recteur Sarrailh, 21,
F-64000 PAU (France)

Haec chartula est sine involucro mittenda (ut plane appareat per pittacium signatum eam re vera missam esse ab alio homine ex alia regione); et in aversa parte velim imaginem urbis vel regionis hominis mittentis impressam esse (quo manifestius sit iam a primo prospectu quod magistro urbis scripsi de Latinitate ubique in terris vigente).

Quo plures eritis qui hoc benigne agatis, eo maior spes erit magistrum urbis voci populi, quae vox Dei dicitur, oboediturum ! Nam has chartulas, postquam satis multas colligere potuero, ad eum adferam... et adveniet quod Deo placuerit !

Gratias quam maximas ago et commentariorum editoribus, qui hunc nuntium meum benigne ediderint, et vobis lectoribus, qui chartulas benigne scripturi estis.

Genovefa Immé.

Lustratio Iprensis

Inter seminarium Vestendense, Mercurii die 20^o m. Augusti, excursio totius diei facta est ad Ipram invisendam. Constitueramus cum Paulo Elsen, ut conveniremus hora decima antemeridiana in Magnum Mercatum sub alta turri Hallarum. Sol hoc anno nobis etiam favit.

Paulus Elsen, noster assuetus mystagogus Latinus, pro participibus notulas de historia Iprensi paraverat, e quibus nonnullas vobis excerptimus :

- "Ypris" (961), "Yprensis" (1066), "Ypera" (1071), "Ypre" (1123) sunt variae formae nominis huius oppidi, quae originem ducunt a fluvio hodie "Ieperlee", olim "Ipre" vocato; quod nomen a forma Germanica "Ipara" venit, i.e. fluvius cum ulmis. Hodie oppidi nomen Latinum scribitur "Ipra", ut recentissime legi potest in Actis Apostolicae Sedis (N. 6, 3 Iunii 1986), ubi refertur Papam Ioannem Paulum II in hoc oppido die 17 m. Mai a. 1985^o stationem fecisse et homiliam habuisse.

- Medii Aevi temporibus, Ipra fuit, velut Brugae Gandavum et Franconatus Brugensis, unum ex quattuor Membris Flandriae.

- Ipra erat statio in magna via, qua Insula^(Lille) et Brugae iungebantur. Magna et copiosa ibi fuit mercatura, praesertim lintearia, saeculis XII, XIII et XIV. Postea paulatim torpuit.

- Primo Bello Mundano (1914-1918), Ipra funditus deleta est. Quispiam in equo sedens ex media urbe quocumque in agros prospicere poterat. Omnia aedificia, quae nunc stant, secundum formam originalem accuratissime post bellum reaedificata sunt.

- Ceteris Iprae aedificiis praestant "Hallae Pannorum", ad Magnum Mercatum inter annos 1200-1304 exstructae et 132 metris longae. Eorum structura est gothica.

In media fronte erigitur turris (quae in hac regione vocatur "belfridus") 70 metris alta, cuius fastigium, quattuor turriculis octogonalibus ornatum, 49 cloccas continet.


- Ad minus latus orientale Hallarum, XVII^o s., adiunctum est Opus Novum (v. Nieuwwerk), quod dicitur; re vera erat Domus Scabinorum.

- Ipra fuit usque ad Rerum Mutationem Francogallicam, sedes episcopalis (1559-1801). Hac de causa ecclesia Sancti Martini adhuc vocatur cathedralis. XIII^o s. exstructa, primo ~~autem~~ bello mundano diruta, annis 1922-1930 secundum eandem formam gothicam diligenter reaedificata est.

In parte interiore est navis pulcherrima. Absis concluditur magno saepto elegantibus ferreis cancellis ornato. In abside adspici possunt sepulcra nonnullorum episcoporum, quorum notissimus est Iansenius (v. Cornelis Jansen) (1585-1638), ex Hollandia oriundus. Is in suo libro, Augustinus inscripto, negat hominis liberum arbitrium autumatque hominem tantum Dei gratia salvari posse; quae est doctrina praedestinationis, fere similis doctrinae Calvinii. "Iansenismo", qui dicitur, vehementer repugnaverunt Iesuitae.

- Porta Menensis (v. Menepoort) est monumentum ab Anglis, annis 1923-1927, exstructum in memoriam 54.896 militum insepulorum. Sed non tantum hoc in loco commemorantur milites caesi; sunt enim multa et ingentia coemeteria militaria circa Ipram, et Germanica et Francogallica et Belgica ...

Cum hic pacifice et humane ambulat grex noster Europaeus Latine coniunctus, vix intellegi potest eosdem Europaeos bella intestina tanta crudelitate gessisse, plerosque certe sinceros sed nationalismis occaecatos ...



TARRACO OLIM PARVA ROMA

le
Ta Fi

Ad collem quandam supra mare aedificata tanquam podium, suavi coelo atque hyeme suavissima, Tarraco ab hominum memoria stat. Alii Tubalem eam condidisse credunt, alii eius filium Tarraconem, alii quandam Phoeniciorum gentium coloniam Terram Agonem fuisse unde nomen iam tunc accepisse... In temporum umbra conditam nemo dubitat. Ante Carthaginensium invasionem anni 288 a.C.n., prolatissimo tempore praecedente quod enarrare nullus hominum potest, quia nescit, pars Cosetaniae erat. Anno 219 a.C.n. Hannibali se tradidit, attamen anno 216 a.C.n. foedus cum Romanis pepigit. Classe Punica prope eam a Cneo Scipione diruta, Tarraco Hispaniae Citerioris caput est facta, postea Ulterioris, nova ordinatione, licet proconsul Romanus huius urbis fere totam dominabatur Hispaniam.

ae
-ali
inhes
-as

Augustus Hispaniam tribus provinciis divisit, quarum Citerior seu Tarraconensis erat, ei Galaeciam adduxit, a Pyreneis montibus fines cum Gallia ostendebat et circa flumen Lezyrum, in Balearicum mare suas vertens aquas, complebatur, occasu solis fines Durius flumen in Oceanum discurrens signabat suos. Denique Constantinus Magnus iterum Hispaniam divisit, et tunc (331) quinque provincias constituit, quarum altera Tarraconensis erat, dispositionem finium arcte minuerat, sic ad Iberi influxum meridie limites alios adquirebat.

W

Per duos annos Tarracone Augustus convalescebat et salutem reperit qua causa alium titulum civitati libenter largitus est : Tarraco Colonia Julia Victrix Triumphalis. Post huius imperatoris mortem Tarraconenses omnium primi a Senatu ut templum in honorem divi Augusti intra moenia aedificaretur petivere (Tacitus), extemplo concessum, cuius locus ubi nunc cathedralis viget. Hadrianus quadam hyeme Tarracone benignitate aëris commoratus est, sic Gratissima Urbs longe lateque vocabatur. Silvius Italicus Vitiferam causa suorum vinorum nominabat. Ad nos quoque quoddam nomen alicuius civis illius pervenit, Aemilius Severinus, poeta.

perit

restat
ii

Ad modum parvae Romae adolebat urbs : Capitolium, circum, forum, amphitheatrum, quasi senatum, censores, quidiles... Moenia defendebat sua, et nummos aliquando cudit. Templum divi Augusti magnifica arte exstructum, ei attamen simile Romae dicatum. Templum nonnulla, Minervae, Isis, Deae Coelestis seu Astartes.

lae

la
W W

In diebus magni quoque splendoris 2.500.000 incolas esse aliqui volunt auctores, at supra modum numeratos plerumque traditur esse, saltem ingentem numerum fuisse omnes conveniunt. Nihilominus in Constantini diebus eius declinatio fuisse videtur, et iam devitare nemo potuit, quamvis dierum lumen famae plane hucusque non extinguitur, qui Tarraconem hodiernam vidit et lumen vetustorum dierum vidit, disiungi non potest historia neque fulgor suus ad oram maris cum undarum susurro, sine ingenti hominum concursu.



W W

H coe
7 7/12

Silentio vita huius quondam celebris urbis transcurrebat, attamen anno 672 quidam Paulus contra Wabam regem ibi armis surrexit, statimque insurrectio suffocabatur. Deinceps a Moyse seu Muza (arabice) capitur (713) et sub imperio Cordubensi ad finem saeculi XI manebit, Mauri eam subegerunt, posthaec regna quoque minuta quae historia Taifarum vocat islamica apparuerunt; his in diebus a rege Caesaraugustano Maurorum pendebat. Armis christianis superatis Raymundus Berengarius III saeculo XII ineunte suburbia expugnavit; nonnullis annis subcurrentibus Robertus Aquilonis urbem a Mauris obsidione facta accepit (1118), eam gratia expugnationis ut victor potestate sub archiepiscopo loci subiectione habuit. Alter praesul, sanctus Olegarius, circa

W W

ii



TARRACO




Figura. Saxa disformia moenium a Celtis quondam, ante invasionem Romanam, disposita fuerunt. Supra ea denique pro custodiae necessitatibus continuo aedificabatur.

annum 1120 cathedralem reaedificat, fundamenta coniciens.

Dum sub Mauris erat Tarraco dioeceses eius provinciae interim in regnis christianis ab aliis pendebant, locum tenentes dum dies recuperationis sperabatur. Gelasius II die 21 Martii 1118 sedem provinciamque opportuno scripto refecit; denique Anastasius IV terras Raymundi Berengarii IV et Aragoniae regni sub metropoli Tarraconensi quoad ecclesiastica constituit.

ii

Ultimus quoque papa schismatis Occidentis Clemens VIII (Sanchez Munoz) in quodam concilio hac in urbe conventus (1462) sponte ad oboedientiam Romanam se protulit. In bello Successionis (1701) dicto quoad Hispaniae Regnum post Caroli II mortem, Tarraco partem archiducis Austriae inane defendit. Postremo invasioni Napoleonicae strenue restitit, ruptis moeniis Gallus Suchet expugnavit atque urbem diripuit; anno 1813 quasi omnia aedificia ipsi Galli incenderunt, iterum expulsis, denuo (1823) ab ipsis capta expoliaverunt. His superatis vel transitis Tarraco tranquillam vitam degit suo aëre dulci supra Mare Nostrum.

crisp.

??

W W

le

W W

la

Adhuc nostris in diebus trium aquaeductuum vestigia supersunt, cathedralis gothica eminent et moenia haud integra, nam partim saeculo transito impetu inimicorum affecta eorum ruinam ad amplificanda nova aedificia destruxerunt. In tutulo urbis moenia Cyclopea dicta immunia stant, haec pars saxa granitica a fundamentis et supra, gigantia quae iuxta traditionem et nonnulla scripta a Celtis quondam allata fuere, ostendit. Iam tunc Romani a Cyclopiibus, Siculis gigantibus oculo uno in fronte, haec ingentia saxa tanta magnitudine translata fuissent, unde moenia struxerunt, credebant. Supra ea Romani suum perfecerunt murum et Mauri et christiani ad retinendam custodiam et munionem urbis pro unoquoque dominatu.

Eustasius Sanchez Villaran Matritensis

SCIENTIA LATINE

ΜΗΔΕΙΣ ΑΓΕΩΜΕΤΡΗΤΟΣ ΕΙΣΙΤΩ

ERUDITIO UNIVERSALIS

Edmund Hlawka, mathematicus praeclarissimus Austriacus, qui multas et illustrissimas commentationes ad theoriam numerorum analyticam pertinentes divulgavit, professor maximi athenaei Vindobonensis et unus magistrorum auctoris huius seriei, acroases suas aureis dictis exornare solebat. Libenter reminiscor illius verbi : res eximia esset, si theoremata mathematica maximi momenti etiam eruditionis universalis essent; satis esset, si omnes discipuli aequationes secundi gradus solvere possent.

Exempla pauca explicant, qua ratione illa res eruditionis universalis intra spatium duorum milium annorum tractata sit.

Hero Alexandrinus (mathematicus, geodaetes, mechanicus tertii saeculi a. Chr. n.), quem nonnulli merito patrem doctrinae mathematicae Romanorum appellant, primus solutionem algebraicam aequationis secundi gradus invenit. In libro, qui inscribitur Geometria, hoc problema tractavit.

Data summa numerorum perimetri, peripheriae, areae circuli cuiuslibet invenire quantitates ignotas.

Hero Π, numerum qui dicitur Archimedicum, aequale $\frac{22}{7}$ ponit

et hanc aequationem invenit (in notatione moderna) :

$$\frac{11}{14} d^2 + \frac{29}{7} d = S$$

d... perimetros circuli
s... summa numerum
et denique

$$d = \frac{\sqrt{154S + 841} - 29}{11}$$

Auxilio notae perimetri peripharia et area sine difficultate determinantur. Dolendum est, quod Hero non singulos gradus reductionis aequationis descripsit.

Muhammed ibn Musa Alchwarizmi (astronomus Bagdatensis noni saeculi p. Chr. n.) in libro, qui inscribitur "Liber Maumeti filii Moysii alchwarismi de algebra et almuchabala", solutionem aequationis $x^2 + 21 = 10x$ exponit.

Census et viginti una dragma equantur decem radicibus, cuius significatio est quod cum cuilibet censui addideris viginti unum, erit quod aggregabitur equale decem radicibus illius census. Cuius regula est ut medies radices; et erunt quinque. Quas in se multiplica et perveniet viginti quinque : ex eo itaque minue viginti unum quem cum censu nominasti et remanebit quattuor, cuius accipies radicem, que est duo, quem ex radicem medietate, que est quinque, minue. Remanebit ergo tres qui est radix census quem voluisti; et census est novem.

Quod si volueris addes ipsam medietati radicem et erit septem qui est radix census, et census est quadraginta novem. Cum ergo questio evenerit tibi deducens te ad hoc capitulum, ipsius veritatem cum additione experire. Quod si non fuerit, tunc procul dubio erit cum diminutione. Et hoc quidem unum trium capitulorum in quibus radicem medietatio est necessaria progreditur cum additione et diminutione. Scias autem quod cum medias radices in hoc capitulo et multiplicas eas in se, et fit illud quod aggregatur minus dragmis que sunt cum censu, tunc questio est impossibilis. Quod si fuerit eisdem dragmis equalis, tunc radix census est equalis medietati radicem absque augmento et diminutione.

Leonardus Pisanus (mathematicus practicus, circiter 1180-1250), cui cognomen fuit Fibonacci, id est filius Bonatii, in libro qui dicitur abaci hoc pensum tradidit, quod auxilio aequationis quadratice solvitur.

Si vis dividere 10 in duas partes, que insimul multiplicata faciant quartam multiplicationis maioris partis in se; pone pro maiori partem radicem, quam appellabis rem, remanebunt pro minori parte 10, minus re; que multiplicata in re, venient 10 res, minus censu; et ex multiplicata re in se proveniet census; quia cum multiplicatur radix in se, proveniet quadratus ipius radicis : ergo decem res, minus censu, equantur quarte parti census. Quare quadruplum ipsarum equabitur censui uni : ergo multiplica 10 res minus censu, per 4, venient 40 radices, minus 4 censibusque equantur censui. Restaura ergo 4 census ab utraque parte, erunt 5 census, qui equantur 40 radicibus. Quare divide radices 40 per 5, exhibunt radices 8, quibus equatur census : ergo portio, per quam posuisti rem, est 8; quibus extractis de 10, remanent 2, que sunt alia portio.

Isaacus Newtonus (1643-1727) illustrissimus et omnium sermone celebratus mathematicus et physicus in libello, qui inscribitur "Arithmetica universalis sive de compositione et resolutione arithmetica liber", haec praecepta ad concinnandam aequationem secundi gradus dedit.

Quemadmodum si habeatur $xx = \frac{1}{4} aa - bb$, extracta utrobique

radice, prodit $x = \sqrt{\frac{1}{4} aa - bb}$.

Quod si habeatur $xx + aa = 2ax + bb$, transfer $2ax$, & exurget $xx - 2ax + aa = bb$; extractisque partium radicibus, $x - a = +vel - b$, seu $x = a \pm b$. Sic etiam habito $xx = ax - bb$, adde utrinque $-ax + \frac{1}{4} aa$ & prodit $xx - ax + \frac{1}{4} aa = \frac{1}{4} aa - bb$;

et extracta utrobique radice $x - \frac{1}{2}a = \pm \sqrt{\frac{1}{4}aa - bb}$,

$$\text{seu } x = \frac{1}{2}a \pm \sqrt{\frac{1}{4}aa - bb}.$$

Denique regulae ad aequationem quadraticam solvendam sequantur, quas e libro sumpsi, cui titulus est "Elementa arithmeticae, geometriae et algebrae ad usum scholarum Austricarum" (1788).

Aequatio quadratica aut est pura aut impura seu affecta. Problema, quod ad aequationem quadraticam puram reducitur, solvitur, si ex utroque membro radix quadrata extrahatur; tum fiat ulterior reductio, & denique substitutio.

Aequatio quadratica affecta resolvitur, si 1) aequatio rite ordinetur; 2) si pars deficiens, nempe quadratum secundi termini radicis binomiae, utriusque membro addatur; tum radix utrinque extrahatur; denique fiat ulterior reductio & substitutio. Ordinatio aequationis fit secundum sequentes regulas:

a) *Quadratum incognitae quantitatis fiat positivum, quia quadratum negativum est impossibile: quod si ergo fuerit*

negativum transferatur in alterum aequationis membrum.

b) *Omnes termini, qui incognitam quantitatem continent, transferantur in illud aequationis membrum, in quo est quadratum incognitae: termini solis cognitis constantes ponantur in altero membro.*

Pars deficiens in aequatione affecta reperitur sequenti modo:

a) *Totus coëfficiens secundi termini dividatur per 2.*

b) *Quotus quadretur.*

c) *Utriusque membro quadratum hoc addatur: & habebitur quadratum perfectum ex quo proinde radix quadrata perfecta extrahi poterit.*

Postremo formula moderna ad solvendam aequationem quadraticam memoretur.

Aequatio

$$ax^2 + bx + c = 0 \quad a \neq 0$$

omnibus condicionibus auxilio formulae

$$x_{1,2} = \frac{-b \pm \sqrt{b^2 - 4ac}}{2a}$$

solvitur.

TERMINI TECHNICI.

res x , Unbekannte, Wurzel einer Gleichung.

x , inconnue, racine d'une équation.

x , unknown, root of an equation.

census $x^2 = xx$.

dragma constans.

capitulum Normalform.


forme normale.

standard form.

almuchabala algebra, concinnatio aequationum, solutio aequationum.

(verbum Arabicum deformatum).

Petrus Hrandek.



Iunior

MELISSA

Statuimus aspectum MELISSAE IUNIORIS mutare; nam, iam nunc pars principalis est historia depicta ex Plautino Rudente excerpta; praeterea locus nobis saepe deest in Melissa fasciculis ad omnia scripta, quae velimus, collocanda.

Qua de causa, aliquid pro iunioribus tantum adiungemus, si iuvenes ad nos miserint quandam rem singularem. Ergo eos hortamur ut bene cogitent et suum ingenium ostendant.

Valete et gaudete!

Diana Licoppe et Francisca DERAEDT.

DE THESEO (2) : PHAEDRA ET HIPPOLYTUS

Nonne recordamini de Thesei historia? Dei ingratiā eius iam punierant, patrem occidendo. Sed alia poena ventura erat: quam hodie vobis narro.

Patre mortuo, Theseus rex Athenarum fit. Antequam Phaedram in matrimonium duceret, iam filium ex regina Amazonum habet: Hippolytum, pulchrum adolescentem qui tantum venationem amat. Simul ac Phaedra suum novum privignum vidit, Cupido sagittis suis amatoriis eam vulnerat. Quamquam Hippolytum seducere conatur, ille nullo modo de cuiuslibet amore curat. Iratissima Phaedra, vexata quod repulsa est, vindictam parat. Privignum suum accusat eam offendisse: eum contumeliosum iniuriosumque esse tanta persuasione dicit ut Theseus illius filium suum in exsilium pellit.

Cum Hippolytus maerens in curru secundum litus discedit, horribile monstrum e mari surgit. Equis perterritis, curru prostrato, infelix adolescens cadit. Graviter vulneratus, dulce patris sui nomen repetens vitam relinquit.

Hac re audita, Phaedram paenitet mendacii. Plurimis cum lacrimis Theseo fatetur accusationem falsam fuisse. Infamia flagrata sibi ipsi mortem dat.

Haec est atrox Thesei poena. Filio uxoreque perditis, ei superest ut miserabilem vitam miserabiliter usque ad finem agat.

MULIÉRCULAS VIDEO SEDÉNTES
IN SCÁPHA SÓLAS DŪAS. NON VIDISSE
ŪNDAS ME MAIÓRES CÉNSEO.



ŪNDA EIÉCIT ÁLTERAM, IAM FÁCI-
LE ENÁBIT! DESILUIT HAEC ÁUTEM
ÁLTERA IN TERRAM E SCÁPHA.
SÁLVAE SUNT.



HIC SÁXA SUNT, HIC
MÁRE SÓNAT. NÉQUE QUÍ-
QUAM HÓMO MI ÓBVIAM
VÉNIT.



PERTÍMUI! QUIS HIC
LÓQUITUR PRÓPE?





SPES BONA ÓBSECRO,
SUBVÉNTA MÍHI! ÉXIMES EX
HOC MISERAM METU?



CÉRTO VOX MULIÉBRIS
AŪRES TÉTIGIT MEAS.







DE MICHAELANGELO PETRUZZIELLO OPTIMO
LATINITATIS SCRIPTORE.

quod Saepenumero pro dolor accidit, ^{quod} ut eorum scriptorum, qui temporibus artium renatarum floruerunt, carmina vitaeque curricula parvo quidem labore reperiri queant et investigari, ea vero, quae saeculo undevicesimo quaeve paulo ante nostram aetatem sunt scripta, oblivioni cito dentur tantae, a qua vindicari vix posse videantur. Cuius incommodi atque iniuriae causae sunt cum aliae, tum illa, quod vix inveniuntur qui poetas novissimos lectione, nedum pertractatione, dignos habeant. Quicquid ergo causae est, non levibus conflictabere impedimentis, si, recentiorum elencho poetarum lustrato, inscriptione quadam allectus vel specimine quodam prolato, integrum opus evolvere volueris. Ubi enim libri exemplum tibi compares? Quod ut reppereris (pulvere quidem praemature obductum), frustra inspicias libros, frustra excuties commentarios e quibus discas scriptor quis fuerit, quo tempore vixerit, unde fuerit oriundus, quas ad res incubuerit.

Imperfecta igitur et dubia et fluida apparet mihi, ut multorum poetarum, ita, si cuiusquam alterius, imago Michaelangeli Petruzzielli, scriptoris et adstrictae et solutae orationis egregii, cuius opuscula adamare iam pridem coeperam. Datis enim redditisque litteris nihil fere de eo cognovi, nisi quod pridie Id. Ian. a° 1902° Monte Faliscorum in agro Abellino est natus, in Lyceo Salernitano, quod a Torquato Taxo nuncupatum est, per annos XXII pueros Latine et Italice docuit, A.D. XIIum Cal. Sept. a° 1961° in patria denatus est caelebs; traditur autem fuisse modestus verecundus taciturnus, id quod pauca eius scripta mihi videntur probare. Porro non indulsit commentariis Latine exaratis nec denique lucubrationes philologas, quantum quidem scio, in vulgus emisit. Manent tamen monumenta eius litteraria aequae numero pauca, at limata, at optima notae. Etenim Petruzziellus bis e certamine illo Hoeufftiano victor abiit, bis e Capitolino. Quod igitur ad posterius, narratio c.t. Mater infelix in certamine quartum indicto (anno 1953°) praemio et divulgatione digna est iudicata; anno autem 1955° scriptio c.t. Marifulcus laude est honestata. In carminibus vero Hoeufftianis magna laude ornatis nitideque Amstelodami editis extant poemata eius quae inscribuntur Vetus pistrinum et Cicada, alterum anno 1956°, alterum anno 1961° praemio decoratum.

19 Cicada carmen - cicada autem aestivum anni tempus figuranter solet significare - tenuis est meditatio sive divagatio poetica, quam vates ad exemplar Anacreontium luisse videtur; idem continetur versibus LII iisque systematis Glyconiif (sicuti Catulli carmen XXXIIIum) implicatis:

Haerens in viridi arboris
ramo, deses agis diem,
concentu omnia stridulo
implens, parva cicada. (vv. 1-4)

...

Visne exsolvere gratias
Soli, qui graciles tibi
almo lumine desuper
splendens roboret artus? (vv. 17-20)

...
Non quaeris tibi sedula
escam nec laticem vagans:
dici tu potes aere
vesci et luce nitenti. (vv. 29-32) (1)

...
Iisdem poeta metris alterum vinxit carmen, quod Vetus pistrinum inscribitur quodque totidem constat versiculis; poemata igitur admodum breviter praecoptabat Petruzziellus, at carmina minus L versibus constata a iudicibus Amstelodamensibus reiciebantur. Pistrino autem illo magnopere oblectabar; siquidem rem primo aspicienti exiguum et humilem, reapse vero ad humanae condicionis medullas atinentem mira humanitate acrique vi et facultate depingendi leviter praestrinxit potius quam tractavit poeta:

Lymphas fulgidulas, prope
currentes agili sinu,
ex ripa tacita vides,
pistrinum imbrice nudum.

Tempus tu repetisne quo,
primo a lumine blandulo, plures ad tua limina
laeti scrupea adibant?

...
Nunc autem querulae sonant
tantum fluminis undulae,
quae ex clivo rapidae fluunt
inter lubrica saxa;

Auster gramina spiritu
in muris agit fremens;
corrosa in tabula micat
subter sole lacerta.

...
Sedes horrida sentibus,
mortis squalida tu domus,
cum multis dederis cibum
almum tempore prisco!

Sed mors nunc quoque possidet

(1) Cf. Anacreontea, 34: "Μακαρίζομεν σε, τεττιξ, / οτι
δενδρεων επεακρων / ολιγην δροσον πεπωκας /
βασιλευς οπως αιειδεις..."

illos qui celerem ad molam
portavere hilares tuam
flavas undique fruges.

Undis heu similes, cito
quas decurrere conspicis,
illos ordine singulos
mox decedere vita

iam fatum voluit. Super
incultos tumulos, ubi
lassi nunc cineres cubant,
pulchri in gramine flores

splendent, qui prope mitibus
perfundunt loca odoribus,
solis lumine fulgido
verno tempore tacti.

Et ventus bene olens tua
en per fragmina sibilat,
herbas flamine pendulas
flectens saxaque mulcens.

Hi versus nonne etiam probant quam callide poemati membra composuerit, quam apte verba selegerit, quam persuasivus sonorum artifex fuerit ille? Praeterea ruderum hic amor et conscientia rerum in finem dissolutionemque rapide vergentium luce clarius ostendit Michaelangelum non mediocriter esse versatum in ea ratione litteraria, qui romanticismus dicitur. Nec denique Petruzzellus academicus versificator veterumve simia ducendus est, cuius versus ingenium vere poeticum aperiant; nam ille, vigilanti mysteriaque rerum somnianti adsimilis, affectus animi et habitus umbraticos intactilesque aliquatenus evocare, aliquantulum in diem proferre conatus est; dein animus eius humillimis etiam rebus imprimitur idemque in omnia animantia, benevolentiam confert; teneram adde melancholiam: habes poetam non grandiloquum, verum valde delicatum.

Quid ergo mirum si eodem dicendi genere temperatiore nitet fabella soluta oratione de matre quadam infelici scripta? Cuius initio describitur sepulchrum marmorque quoddam -
"In medium marmor incisa sunt pauca verba; in summo stat crux, in qua mulieris imago inest, cuius de collo aureus descendit torquis et in pectus se effundit. Eius facies laeta est et dulci risu collustratur. Oculi suaves nigrique spectant quasi vitae diuturnae felicitisque spem sequantur. Haud dubie sic ornata et hilaris se effingendam curavit tempore quo nupsit viro, minime cogitans talem effigiem suam decoraturam esse sepulchrum. Risus fulgens, gaudio fugaci ortus, in perpetuum labris retentus, lumen videtur super parvum domicilium mortis."

deinde quae mulier in eo sepulcro iaceat narratur. Nomen ei igitur Silvia, cuius filius unicus, Marius nomine, saeviente altero bello mundano, die quadam conscribatur -
"Erat hora sexta et sol agros, in quibus spicae flavae interdum vix fluctuabant, aurea flamma torrebat nec ullus audiebatur rumor; cicadae tantum, in arboribus abditae, aeternum effundebant late stridorem."

Marius autem Neapolim, tum Mediolanum se ferre

iussus est; inde Russos petere. Germanis e Russia fugatis et tumultuose recedentibus, Marius tamen salvus, dato comite, Lares revisit. Decem vero post diebus Mediolanum iterum est accersitus, qua in urbe pyroboli fragmento saucius mortem mox occubuit. Nuntio de eius morte allato Silvia luctu confecta contabuit. Flebiles igitur illos Mari et matris casus condigne et poetice rettulit Petruzzellus:

"Aliquamdiu etiam vixit, sed eius vita lentae morti similis fuit: nam sicut lampas, quam oleum deficiat, exstincta est(...).

Domus adhuc ridet solis lumine collustrata; circum garrulae volitant aves et ex agris laeti perveniunt rustici cantus, ita ut vix credas eam tot accepisse lacrimas et singultus. Illa quidem, currente tempore, intra suos parietes etiam gaudia accipiet et dolores." (2)

THEODERICUS SACRE LOVANIENSIS
(Foundationis scientiis provehendis Belgicae adsocius).

(2) Gratias agimus maximas Richardo Avallone, academico professori Salemitano, et tabulario Academiae litterarum Amstelodamensis Neerlandicae praefectis quod indagaciones nostras valde promoverunt.

Melos nocturnum

Futiles, o nox, pereant poetae
in tua argute vehemente vita:
non potest fallax hominum loquela
te celebrare.

Hymnus est lunae radius benignae
qui metro astrali nemus omne scandit,
versus arcanus resonans sine ictu
mobilis est lux.

Omnium noscis modulata rerum
murmura et rhythmos numeras futuros:
quod mihi incertum vacuum videtur
musica certa est.

Cantitant rami sine voce et herbae,
amplius crescunt violae canendo,
et quid inter se tremulo susurrent
nescio more.

Hoc scio solum: medio in sonore
musicae tantae remanere dulce est
ac silentes res ubicumque terrae
percipere omnes.

Iosephus Tusiani Neo-Eboracensis

DE LATINITATIS VIVAE MOTIONIS ORTU (II)

In numero 13° divulgavi maioris momenti sententias relatorum, qui

De Grammatica Latina
De pronuntiatiu verborum Latinorum et
De verbis novandis rettulerunt.

Quartum thema proposuerant primi conventus ordinatores, id est "De methodis Latine docendi", quod Latine tractavit Doctor Goodwin Beach, professor in Trinity College, Hartford (in Foederatis Civitatibus Americanis). Nonnullas eius sententias afferam :

"Omnium igitur primum censeo notionem hanc pravissimam "linguam Latinam demortuam esse" e mente magistrorum, parentum, discipulorum, uno verbo, uniuscuiusque et universorum evellendam, extirpandam, funditus tollendam. Num pro demortua haberi potest ulla lingua, qua nihil non dici potest? Quid ergo? Num potest quidvis Latine dici? Immo vero et quidem multa, quae non nullis hodiernis linguis dici non queunt."

Censeo igitur non modo oculos arte legendi, verum etiam linguam arte loquendi auresque arte sermonis intellegendi erudiendas esse ut lingua discipulis viva videatur."

Erasmus vivo, pueri eo modo hac lingua instituebantur ut loqui scirent, non de oppidis expugnandis, non de hibernis, verum de quibusvis rebus quae ad vitam suam pertinebant. Is enim praecipit ut quam maturime discipuli loqui incipiant; ut magistri cum eis Latine quam optime, quam purissime loquantur atque locutiones exhibeant quibus inter ludendum, prandendum aliaque vitae cottidianae munera obeunda utantur."

"Censeo eisdem methodis docendi utendum quibus magistri in linguis hodiernis docendis utuntur, ut haec nostra lingua discipulis tam viva, tam vivax obiciatur quam linguae hodiernae."

"Censeo peritis Latine scribendi persuadendum ut vel fabulas e scriptis Medii Aevi excerptas in sermonem elegantem redigant vel fabulas recentes convertant vel novas conscribant festivas incundasque."

"Censeo magistros Linguae Litterarumque Latinarum hortandos, immo admonendos ut quam saepissime ipsi inter sese Latine scribant et colloquantur, ut lingua et sibi ipsis et discipulis viva esse videatur."

"Censeo ut nos, moribus delicatis conquerendi exutis, cestus indui ad hostes nostros profligandos prodeamus."

Qua fortissima sententia Goodwin Beach, qui se ipsum Latine "Bonamicum Aetensem" vocat, suam relationem concludit. Pauca tamen dixit de ipsa methodis Latine docendi.

Post has quattuor maiores relationes, multi conventus participes etiam verba fecerunt, quae diversimode sed eodem animo eadem consilia confirmaverunt.

In oratione finali Francogallice prolata, praeses Johannes Capelle summam conventus operum fecit, de qua Latine et concise in fasciculo insequenti referam.

Praeterea dixit, cum ingentia essent opera efficienda, se prudenter nondum societatem novam Latinistarum condidisse neque de novis commentariis periodicis Latinis edendis statuisse; hunc conventum tantum esse praeparatorium, proximum autem ad constituendum aptum fore. Tres relatores temperatos esse opera praeparatoria, ad quae participanda cooperatores quaerunt. Primae cooperatorum manus praeparandam esse simplicissimam epitomen grammaticae Latinae, monente Johanne Bayet. Nemini timendum esse ne

Latina etiam minime mutaretur vel corrumperetur. Propositum esse tantum regulas simpliciores excerpere, quae sunt omnino necessariae ad res, praecipue scientificas, dilucide sed sine ullo ornatu tractandas. Quo docendi modo, institutionem Latinam facturam esse arborem cum duobus ramis : truncum communem, ad minimum contractum, sed firmum et rectum, ad omnes et futuros technicos et futuros "litterarios", qui dicuntur, pertinentem; postea, seu rami, quo litterarii ad fastigium litterarum Latinarum duci possent, seu alterum rami, quo technici tantum exercerentur ad usum simplicem linguae Latinae in sua quisque disciplina.

Secundae cooperatorum manus incumbendum esse in novis vocabulis necessario fingendis. Optandum esse ut, faventibus institutis nationalibus internationalibusque, dictionarium modernum, multis imaginibus illustratum et totum Latine conscriptum, in lucem edere posset.

Tertiae cooperatorum manus curandum esse ut excogitaretur methodus aptissima ad hodiernos pueros in schola Latine docendos.

Ad usum eorum, qui linguam Latinam extra scholam discere cupiunt, methodum generis "Assimil" esse praeparandam.

Conventus Avennionensis conclusus est votis unanimis, Latine divulgatis, quae mihi perutile videtur ante hodiernorum oculos ponere :

VOTA DE RE GRAMMATICA

Optata seu vota quae sequuntur hoc praesertim intendunt, ut grammaticae Latinae institutio summam, methodicam, ad minimum redacta proponatur, ita tamen ut sufficiens sit ad mutuam inter sapientes omnium populorum commercium; quod nihil obstat quominus methodus « Assimil » quae dicitur adhiberi vel haec grammaticae Latinae institutio aptetur traditionibus vel necessitatibus uniuscuiusque populi propriis. Optandum est igitur:

- I. Ut declinationes et conjugationes ordinate et juxta rationem scientiae linguarum quam exactissime proponantur et casuum, vocum, modorum, temporum sensus proprius et additicius explicetur.
- II. Ut orationes simpliciores ratione practica exponantur et etiam quae nominales, infinitivi, participii (ablativi absoluti), coordinatae, relativae, appellari solent.
- III. Ut summam de orationibus quae « circumstantiales » vocantur, modo logico et paedagogica ratione agatur, scilicet a simplicioribus orationibus ad complexiores, cum indice complementorum nominum quibus respondent, et etiam copularum (conjunctiones et adverbium) orationum coordinatarum et subordinatarum.
- IV. Ut orationum quae comparativae, conditionales, reflexivae vocantur, clarus conspectus redigatur.

Doctrina de oratione obliqua et de modorum attractione. quae dicitur. differri potest.

Hoc tamen notandum est, quod hoc breve grammaticae compendium, quod convenienter aliis omnibus grammaticis addi potest, nullo modo debet obstare ampliori grammaticae institutioni, eorum videlicet gratia qui ulteriorem et accuratorem linguae Latinae cognitionem cupiant.

VOTA DE LATINO PRONUNTIATU

In hac re optandum est :

- I. Ut, juxta regulas nunc tradendas, praxis latine audiendi (directe, ope consignationis...) et latine ore ac voce loquendi (lectio, declamatio, actio dramatica...) excitetur et diffundatur.
- II. Ut omnia et singula verborum elementa distincte atque integre proferantur.
- III. Ut in libris ad pueros erudiendos verborum accentus notetur sive apice quodam sive nota ad syllabarum quantitatem designandam.

Commendantur hae quinque regulae :

- I. Ut vocales et diphthongi juxta pronuntiandi rationem quam « restitutam » vocant proferantur.
- II. Ut litterae *c* et *g* sono duriore semper fiant.
- III. Ut distincte sonus labiovelaris *qu* efferratur.
- IV. Ut litterae *c*, *t*, *g* semper oclusae habeantur, etiam cum simul apparent *sc-*, *ti-*, *gn-*.
- V. Ut in eo quod ad Latinum pronuntiatum spectat iis utamur signis caque fiat ratione quae a Societate Universali de re Phonetica maxime commendatur.

VOTA AD NOVA FINGENDA VERBA

- I. Priusquam novum verbum ad res novas effingamus, certos nos esse oportet thesaurum vocum linguae Latinae omnino exhaustum esse.
- II. Cum reapse nullum aptum verbum lingua Latina nobis suppeditet, licet recurrere ad verborum compositionem vel derivationem ex ipsa Latina lingua.
- III. Nova vocabula possunt etiam a Graeco fonte hauriri.
- IV. Cum haec omnia desunt, pateat via ad verbum his temporibus linguarum usu signatum, quod tamen rationi et linguae Latinae colori aptandum est.

VOTA IN RE PAEDAGOGICA

- I. Qui linguam Latinam docent, nequaquam linguam Latinam mortuam credant oportet.
- II. Undique lingua Latina enixe vulganda est, non tantum ut fons et radix cultus atque humanitatis, sed etiam propter commoda et fructus quos ipsa his quoque temporibus afferre potest.
- III. Magnopere curandum est ut linguae Latinae institutio fiat jucundiore ratione et

puerorum animis magis accommodata, quin tamen liceat cogitare de re agi omnino simplicissima. Ad pueros erudiendos magni momenti erit res vitae cottidianae proponere et de his rebus cum ipsis agere.

- IV. Magistri curare debent ut alumni ratione et via ea vocabula memoriae mandent quae necessaria erunt ad auctores Latinos facile legendos et interpretandos.
- V. Curandum quoque ut magistri methodo activo in lingua Latina edocenda utantur.
- VI. Optandum ut qui linguam litterasque Latinas tradunt, sese quam sapissime latine scribendo et colloquendo exercent.
- VII. Commendantur in scholis, praeter auctores classicos, antiquae, mediae, recentioris aetatis auctores, qui jucundas festivasque narratiunculas et facetias scripserunt, quas forte necesse sit ad simpliciore sermonem, genuinum tamen et elegantem et Latinum redigere.

1956 Avennionensis regia domus paparum



GENERALIA VOTA

Dum novi conventus tempus adveniat, cœtui interim constituto commendatur ut vota seu optata hujus conventus vulganda suscipiat, ad quod tria collegia seu consilia temporaria constituenda possunt :

1. Consilium de lexico Latino parando ;
2. Consilium de re grammatica atque de pronuntiatio fovendis ;
3. Consilium de re paedagogica, quod conatus uniuscujusque populi in hac re inquirat.

Praeterea in votis est ut quicumque huic conventui affuerint studium excitent in collegis propriae scientiae seu disciplinae ut lingua Latina universalis deveniat

Postremo haec commendantur :

1. Ut collectiones scientificae majoris momenti (veterum auctorum editiones criticae, linguarum classicarum lexica, etc.) Latina, non vernacula lingua scribantur.
2. Ut in commentariis periodicis scriptiones seu disquisitiones majoris pretii sint aut omnino latine aut latine saltem summam edantur.

sequitur
Gaius Licoppe

13
mm
La



UNDIQUE VENITE FREQUENTES AD IUCUNDISSIMAS LATINITATIS VIVAE NUNDINAS PARTICIPANDAS, quarum sequitur programma:

Index rerum maiorum quae agentur **LVDIS LATINIS A. D. MCMLXXXVI Frisingae edendis**

ADOLPHVS OPILIO PRAEFECTVS FRISINGAE LATINI SERMONIS CVLTORIBVS S.

Num quis est vestrum, Frisingam nostram qui ignoret? scilicet urbs est pulchra, vetusta, religiosa, tam denique Latina, ut in orbe terrarum paucas pares habeat. qua re vos ad **LVDOS LATINOS** voco, qui hic in Monte Docto meis auspiciis, Valahfrido Georgio moderantibus, Amore Sanctoquo Corbiniano patronis fient a die 23 ad diem 26 mensis Octobris. venite et valete!

Dr. Adolf Schäfer
burgimager maior

tempore antemeridiano quae fient diebus Veneris et Saturni, omnia in Gymnasio, quod est in Monte Docto (Domgymnasium, Domberg 5), agentur exceptis meditationibus spiritualibus.

h. 8-8.10: Meditatio spiritualis ante ientaculum fiet in sacello, quod est in aedibus Doepfnerianis (Kardinal-Döpfner-Haus, Domberg 27)

h. 9-9.45: Cantu communi discentur et cantabuntur carmina Latina a Iano Novák modis ornata, quae docebit Georgius. rogantur sodales, ut libellum Canticorum, si habent, secum apportent.

h. 10-12. 15 Scholae habebuntur variae diversis in oecis. ibi in pauciorum coetibus sodalibus erit occasio liberius colloquendi. sic autem temporis ordine distinctae sunt, ut unus quisque sodalis binas eligere possit. enixe rogantur sodales, ut scholas easdem utroque die frequentent. has scholas iam nunc scholarchae nobiles promiserunt:

h. 10-11: Monica Balzert Gruningensis: De ratione temporis distinguendi et notandi. - *P. Caelestis Eichenseer* Saravipontanus: Introductio in usum sermonis Latini. - *Gaius Licoppe* Bruxellensis: De itinere Islandico. - *Franciscus Krieter* Diendorpinus: De philosophia naturali quid veteres Romani senserint. - *Raimundus Pfister* Monacensis: Colloquia discipulorum grammaticae exercendae apta. - *Fidelis Raedle* Gottingensis: De Vita Sancti Corbiniani. - *Alexander Weimann* Monacensis: Introductio in praxim cantus Gregoriani. - *Arminius Wiegand* Manhemienensis et *Franciscus Wachinger* Monacensis: De colloquio Erasmano, quod inscribitur „Militaria“.

h. 11.15.-12.15: Guilelmus Blum Monacensis: De doctrina rerum politicarum. - *Vvius Dubielzig* Monacensis: De epistulis conscribendis. - *Hervicus Goergemanns* Heidelbergensis: Διάλογοι Ἀττικοί sive Colloquium Atticum. - *Petrus Hrandek* Vindobonensis: De rebus mathematicis. - *Volfangus Huebner* Monasteriensis: De astrologia versificanda. - *Inga Pessarra* Vnnensis: Progymnasmata saltationis orientalis vel ventralis. - *Henricus Reinhardt* Frisingensis: De historiographia Frisingensi. - *Volfangus Riedl* Monacensis: De picturis quibusdam Botticellianis.

die Iovis 23 m. Oct.

h. 8.45-15 Peregrinatio

sodales congregabuntur in Foro Mariano Monacensi ad columnam Deiparae. hymno decantato ibitur curru celeriore tertio (S 3) Ismaningam, deinde pedibus iter fiet Frisingam. sarcinae sodalium autocineti maiore transportabuntur. cibos necessarios sibi quisque comparet.

inde ab h. 12 officina receptoria in Gymnasio quod est in Monte Docto (Domgymnasium, Domberg 5) instituta erit. ibi omnes omnibus de rebus certiores fieri poterunt, tesseræ dividuntur, cetera quae erunt necessaria agentur.

h. 16-18 Periegesis Frisingensis

urbis ecclesiaeque historiam explicabit, monumenta monstrabit *Bernardus Teuber* Neo-Vlmensis mystagogus. convenient sodales ante portam ecclesiae cathedralis in Monte Docto (Domberg).

h. 20 LVDORVM LATINORVM initium sollemne

fiet in Atrio Musei episcopalis (Diözesanmuseum, Domberg 21). *Adolphus Opilio* praefectus Frisingae **LVDOS LATINOS** inaugurabit. viri nobiles sodales salutabunt. edetur etiam in scaena

Porta Aeternitatis

fabella sacra a P. Francisco Lang S. J. (1654-1725) conscripta, a Ruperto Ignatio Mayr (1646-1712) modis musicis instructa. cantus actionemque scaenicam moderabitur *Diethardus Lehmann* adiuvante *Murieli Thoene*. Imaginibus res illustrabunt discipuli gymnasii in Monte Docto.

die Veneris 24 m. Oct.

h. 14-14.45 De Didone Vergilii melodiis a Iano Novák illustrata dicitur in gymnasio *Valahfridus*. exempla musica e novo phonodisco subiciuntur.

h. 15-16 Bibliotheca ecclesiae cathedralis explanabitur a *Rudolpho Goerge* Frisingensi. convenient sodales in atrio Musei.

h. 16.15-17.15 De litteris Latinis Frisingensibus in gymnasio orationem habebit *Henricus Reinhardt* Frisingensis.

h. 17.30-18 Ludum septem sapientum Ausonii agent discipuli gymnasii Hoelderliniani Stutgardensis moderante *Monica Balzert* Gruningensi.

h. 20 in Atrio Musei episcopalis fiet acroasis musica, qua edentur opera

Iani Novák

qui primus **LVDOS LATINOS** invenit. „Exercitia mythologica“ et „Dicteria“ cantabunt chori gymnasii Pestalozziani Monacensis moderante *Rita Weindauer*. opera organii accomodata exhibebunt *Elissa Novák*, *Clara Novákova*, alii.

h. 14-16 Periegesis Frisingensis (videte ad diem Iovis quae scripta sunt!)

die Saturni 25 m. Oct.

h. 14–15 Periegesis Musei episcopalis: picturas signaque celeberrima explicabunt *Silvia Saborowski* Monacensis, *Helmutius Zaeh* Nordlingensis.

h. 15.15–16 Poetarum recitationis pars prima: scriptores nobiles in gymnasio sua carmina dicent.

h. 16–16.30 nihil

h. 16.30–17.30 in sacello quod est in aedibus Doepfnerianis fiet **Officium divinum**

oecumenicum q. d., quod celebrabunt *Guilelmus Grillenberger* Monacensis et *Henricus Reinhardt* Frisingensis. cantui Gregoriano praeerit *Alexander Weimann*, tibia canet *Clara Novákova*, organum pulsabit *Georgius*.

inde ab h. 18 in Oeco maximo Scholae musicae Frisingensis (Musikschule, Kölblstr. 2) fiet

Saltatio publica

quam exornandam curabit *Bernadilla Schnyder*. cantabunt *Symphoniaci lusorii Monacenses* (Erstes Münchner Salonorchester) fidibus primariis canente et moderante *Thoma Hellbake*. huic saltationi intererunt *Marcus Junkelmann* Ratzenhofensis, centurio Romanus cum gregariis suis. Ovidii Ariadnam per pantomimum exhibebunt *Bernadilla*, *Escius Bockelmann*, *Andreas Heider*, *Ioannes Petrus Obermayer*. praeterea fiet

Deliciae Latinae

quae erit ingeniorum ostentatio. hic unicuique sodalium occasio dabitur artificii sui demonstrandi.

die Solis 26 m. Oct.

h. 9.15–10 Poetarum recitationis pars altera (in Atrio Musei)

h. 10.15–12 in Atrio Musei celebrabitur

LVDORVM LATINORVM finis.

praeter alia opera musica edentur Carmina Catulliana *Magarettae Sorg-Rose*. *Valahfridus* et *Georgius* vale dicent sodalibus. in fine *Claudia*, *Josephus*, *Rudolphus Goerge* e Collegio minore Frisingensi (Der kleine Kreis Freising) nonnulla carmina Burana more mediaevali cantabunt. LVDI hilari festivitate ad finem perducentur.

h. 12.30 sodales una prandebunt in Cavea tiliæ (Lindenkeller, Veitsmüllerweg 2).

UTILIA

A die 23 ad diem 26 m. Oct. Frisingae in urbe vetustissima et Latinissima, cui hodie Freising nomen est.

Pernoctatio dabitur et in multis deversoriis publicis et in aedibus Kardinal-Döpfner-Haus (quae sunt in monte ecclesiae cathedralis, i.e. Am Domberg), ubi diebus 24 et 25 m. Oct. non ientare solum, sed nobis usque prandere et cenare licebit. Ibi qui deverti voluerit, indicet id nobis, item nobis usque ad d. 10 m. Sept. centum viginti sex marcas (126,- DM) transcribat. qui aliis in deversoriis dormire cupient, ipsis scribant cauponibus eisque dicant se LUDORVM LATINORVM sodales esse. Praeterea omnibus sodalibus solvendae erunt quadragenae marcae (40.- DM) exceptis scholaribus i.e. discipulis universitatum et gymnasiorum, qui vicenas quinas marcas (25.- DM) pendent. Hanc summam vos rogamus ut iam tunc mittatis, cum indicabitis nobis per litteras vos LUDIS LATINIS interfuturos esse. Transcribenda est autem omnis pecunia huc :

Nr. 1720280015 Hypo-Bank München (BLZ 700 200 01) : Sodalitas LUDIS LATINIS faciendis e. V.

Epistulas autem vel schedas, quibus nomina profitemini, mittite huc :

Jürgen Leonhardt,
Geschwister-Scholl-Platz 1,

D-8000 München 22.

h. 14–15 Initium LVDORVM LATINORVM Augustae Vindelicum editorum in unam horam correptum demonstrabitur pellicula (in gymnasio)

KALEVALA LATINA

Carmen epicum nationis Finno-
rum in perpetuam memoriam
anniversarii centesimi quinquagesimi
transtulit

Tuomo PEKKANEN

praebente sumptus Collegio anni festi Kalevalae
celebrandi

edidit

Societas Kalevalensis.


Professorem PEKKANEN in Latinum vertisse carmen epicum nationis Finno-
rum, KALEVALA inscriptum, magni momenti est in historia huius eximii carminis. Primum enim, totus textus in aliam linguam translatus est ab interprete, cuius sermo patrius est Finnicus. Eum linguam Latinam elegisse etiam est singulare, quia numerus lectorum Latinorum in orbe terrarum hodie minor factus est quam superiore saeculo, cum Elias Lönnrot anno 1827° suam Latinam thesin de Väinämöinen divulgavit. Verum tamen est plures esse extra Finnam homines qui Latine legere sciant quam Finnice. Quibus erit mira occasio inveniendi opus, quo Finni, multo plus quam ullo alio, suam nationalem identitatem confirmaverunt.

Professor PEKKANEN artificiose miscuit stilum classicum cum maxima varietate omnis aevi vocabulorum.

Perpauci versus ex 22.795 totius operis ad exemplum exhibentur:

Nunc relicta domo nostra
aliam in domum ibis,
sub ius matris alienae,
in familiam ignotam.
Aliter est hic ac illic,
domibus in alienis!
Differt ibi clangor cornus,
differt liminis lamentum,
differt sonitus portarum,
dicit cardo differenter.
Nescis limina transire
vel per portas ambulare
sicut coniugis germana;
nec sufflare scis in ignem
neque focum scis fovere
iuxta viri voluntatem.

equum dextra moderatur,
laeva mulcet sponsae mammae,
unus pes ex curru pendet,
alter pes est pelle tectus.



Qui liber proximo mense Octobri in lucem edetur:

KALEVALA LATINA

Translated by Tuomo Pekkanen

400 pp. U.S.\$ 33, quibus 10 \$ addenda sunt pro sumptibus cursualibus.

Peti potest a domo editoria Suomalaisen Kirjallisuuden Seura


PL 259

SF-00170 Helsinki 17

FINLAND

Addendum est mandatum cursuale.

Amatores cantilenarum Latinarum, gaudete! Nam in lucem edita est:



quam petere potestis a Domo editoria
"Societas Latina" inscripta,
Universität - FR 6.3
D - 6600 Saarbrücken 11

SEDES STUDIORUM NEOLATINORUM
UNIVERSITATIS STUDIORUM SARAVIENSIS
invitat Latine doctos ad

s y m p o s i u m

participandum, quod erit de incremento linguae Latinae
post tempora humanismi facto.

Quod symposium fiet
die Veneris, 28.m. Augusti 1987, et insequenti die Saturni, 29.8.87,
in oeco quodam Universitatis studiorum Saraviensis.

Singuli universi, quorum hoc rerum et quaestionum interest,
enixe rogantur, ut hoc biduum sibi reservent liberum.

Invitationes separatae cum programmata definitivo
ineunte anno 1987° exhibebuntur.

Quoad quaestiones et interrogationes:


numerus telephonicus
(49)-(0681) 302-3392

(Dr. Caelestis EICHENSEER)

Inscriptio cursualis: Societas Latina

Universität- FR 6.3

D - 6600 Saarbrücken 11



RUDENTIS operis cinematographici omne genus videocasetarum peti potest. Litterae interrogatoriae mittantur ad sedem Melissae, cum pretium valde differat pro genere. Videocaseta generis communis, id est V.H.S. Pal, cum libello textuali, constat 5.000 Fr. B., quibus accedunt expensae cursuales. Videocasetae ceterorum generum maioris pretii constant.

LINGUAM LATINAM ♥ Hoc adhaerenti pittacio palam significare poteris te Latinitati Vivae favere.

Tres veneunt 100 FR.B. inclusis sumptibus cursualibus.


MELISSAE EMISSIONES LATINAE

Prima phonocaseta unius horae perfecta est.

Si quis nunquam Latine loqui audiverit, auscultet complures locutores ex diversis regionibus oriundos. Materia est varia. Praecipue tractatur de primis emissionibus radiophonicis Latinis et de Ludis Latinis Augustanis.

Pars etiam dedita est textibus classicis.

Pretium phonocasetae est 250 F. B., inclusis sumptibus cursualibus.



Hoc novo, practico et pulchro graphiario discipuli significare poterunt se linguam Latinam discere

Pretium graphiarii est 250 Fr.B., inclusis sumptibus cursualibus.

LUSTRATIO LITORIS BELGICI :

Quo opusculo, quod conscripsit Gaius LICOPPE et diligenter emendavit Dr P. Caelestis Eichenseer, adumbrantur geographia et historia litoris Belgici.

Pretium est 120 Fr. B. inclusis sumptibus cursualibus.

PECUNIA MITTENDA EST ad hunc computum mandatorum cursualium :

"AMICI MELISSAE"

Bruxellis CCP : 000-1484533-45

Licet etiam EUROPAEAM ASSIGNATIONEM ARGENTARIAM (Eurochèque) mittere, ubi pretium solvendum francis Belgicis indicari debet et ubi numerus chartae argentariae eius, qui pecuniam mittit, etiam inscribi debet.

Ceteros solvendi modos accipere non possumus, quia tanta pars pecuniae accipiendae retinetur pro sumptibus argentariis, ut plerumque vix quicquam supersit.